



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 2. Rex Persarum in primo victor, in altero prælio cæsus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

Sæcul. XV. foedus iniit; cum vero a Mahomete magna Principatus sui parte spoliatus esset, A.C. 1473. a Mocenigo Venetæ classis præfecto suppetias obtinuit. In ejus opem præter Venetos etiam accurrebat summus Pontifex cum classe decem triremium, totidemque navigia, quæ tum in promptu habebat, submisit Ferdinandus Neapolis Rex. Horum auxilio adjutus Princeps, tres potissimas ditionis suæ urbes recuperavit. Expleta hac expeditione Mocenigus, ne otiose subsisteret, totam Lyciam grassationibus, ac deprædationibus infestat, dum interea Usumcassanus Persarum Rex ex alterius regionis parte in Turcas bellum moveret.

§. II.

Rex Persarum in primo victor, in altero prælio cæsus.

*Phranz. l. 3.
c. 30.
Leunclav.
l. 15.*

Usumcassanus primo prælio Mahometis exercitum ingenti clade prostravit, ipsumque Beglerbegum, id est, summum Turcicæ Provinciæ in Europa Præfectum cum multis aliis Principibus ac ducibus trucidavit. Verum altero prælio cum Turcis inito armis suis infestam experiebatur fortunam; cum enim nondum belli tormenta a Venetis accepisset, impune a Mahomete tanta flammæ ac globorum tempestate impetebatur,

tur, ut tandem profligatus pedem re-
 ferre cogeretur. Hæc tamen victoria Sæcul. XV.
 A. C. 1473.
 Mahometi plusquam quadraginta millium
 Turcarum impendio stetit: Usumcassa-
 nus vero in hac pugna filium suum plum-
 bea glande trajectum amisit. Is erat a-
 dolescens animi fortitudine nemini se-
 cundus, qui in primo certamine mira
 virtutis suæ specimina tanto successu e-
 didit, ut illius invicto pugnandi ardori
 potissima victoriæ pars deberetur. Ce-
 terum Persarum rex accepta clade in
 Armeniæ montes unacum filio suo su-
 perstite profugit; Mahometes vero, to-
 ta ditone ferro flammaque devastata
 Constantinopolin reversus est, secum in
 captivitatem abstracta ingenti Christiano-
 rum multitudine, quorum quingentos
 in singulis locis, ubi stativa agebat, inau-
 dita crudelitate per medium corpus dis-
 secari iussit, totamque regionem horri-
 bili terrore implevit.

§. III.

*Audax facinus adolescentis Siculi ad-
 versus Mahometis classem.*

Referunt Historici, sub idem tempus Coriolan. l. 2.
 Sabelic.
 quemdam juvenem, nomine Anto-
 nium, natione Siculum ad Mocenigum 3. dec. 9
 Justiniani
 Venetæ classis Præfectum, qui tunc hi-
 berna Nampliæ in Peloponeso agebat, lib. 9.

F f 2

acces-